

tiam elevantur, hi sunt quibus altissima et imper-
scrutabilia mysteria sua revelat.

*Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam
calceamenti.*

2. — Euthymius in persona Baptistæ dicit :
« Neque inter postremos ejus servos numerari
« mereor, propter magnitudinem considerate in
« eo divinitatis, postremis namque ministris aptari
« solent hujusmodi ministeria. »

3. — S. Thomas quoque idem dicit, nimirum
quod solvere calceamenta omnium sit ministerio-
rum infimum : « Est minimum obsequium, » inquit,
« quod hominibus fieri potest. Ex quo patet, quod
« Joannes multum accesserat ad Dei cognitionem,
« in quantum ex consideratione infinitæ magnitudi-
« dinis Dei, se totaliter vilipendebat, et nihil se
« esse dicebat. » Dionysius Carthusianus in Joan.
similem inde moralitatem deducit, cum ait :
« Noverat quod homo tanto sit coram Deo subli-
« mior, quanto in oculis propriis fuerit vilior. » S.
Cyrillus Alexandrinus S. Joannem se non tantum
indignum censuisse scribit, qui ejus præcursor
esset, verum etiam ne quidem qui servi nomen
mereretur : « Tanto me intervallo superat, ut ne
« servi loco dignum me apud ipsum reputem. »
Verum enimvero, quia infallibilis est illa Christi
promissio : *Qui se humiliat, exaltabitur* : ideo ut
Chrysostomus, *hom. xxxviii ad pop.*, ait : « Manum,
« quam calceamentorum dixit indignam, hanc super
« caput suum Christus attraxit, quando ad bap-
« tum Joannis verticem inclinavit. » Verumtamen
difficultas hoc loco exurgit; cum enim Joannes se
vocem Verbi dixerit : *Ego vox clamantis*, vox autem
in ore sit eam formantis, quomodo igitur se indig-
num, qui manus suas pedibus ejus admoveret,
dicere potuit? Ecce tibi hujus rei mysterium : nimirum
ad sublimiora cœli dona conservanda opus est,
ut quis in terra, id est, in humilitate, sui que ipsis
contemptu valde profundus sit. « Mystice per calcea-
« menta, » inquit Dionysius Carthusianus, « intel-
« ligitur Christi humanitas a Verbo induta, per
« pedem divinitas humanitate lecta, per corrigiam
« vero unio utriusque, Joannes ergo non fuit dignus
« corrigiam calceamentorum pedis Christi solvere,
« quia non potuit perfecte incarnationis mysterium,
« seu modum hypostaticæ unionis humanæ naturæ
« cum Verbo explicare, imo hoc excedit intel-
« lectum non solum omnium viatorum, sed et Angeli-
« corum spirituum. »

4. — Albertus Magnus postquam Joannem jure
merito se indignum censuisse dixit, qui calceamentum
Christi solveret : « Quia nullus sanctorum
« sufficit ad minimi obsequii sui condignam ido-
« neitatem, » mox aliam expositionem, illi, quam
Carthusianus supra dederat, similem prosequitur,
dum ait : « Aliter exponitur, quod calceamentum

« Christi fuit humanitas, pes autem deitas, corrigia
« fuit unio; » indeque eandem consequentiam
deducit, scilicet quod S. Joannes dicere voluerit, se
indignum esse, qui mysterium adeo sublimem, quale
Christi incarnatio erat, investigaret.

Additio.

a. — *Cujus non sum dignus ut solvam ejus corrigiam
calceamenti.* Joannes se indignum professus quod
solveret corrigiam calceamentorum ejus, dignus
factus est, non tantum veniendi ad calceamentum
Christi, sed etiam ad verticem ejus, quanto enim
quis se humiliat, tanto magis exaltatur. *Humiliavit
semetipsum Dominus noster Jesus Christus usque ad
mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus
exaltavit illum, inquit Apostolus, ad Philip., ii, 8.*

S. Bernardinus Senensis, ad illa se cantici Mariæ
verba reflectens : *Respexit humilitatem ancillæ suæ,*
inquit : « Non ait, respexit potentiam, quia Domi-
« nus depositus potentes de sede, et exaltavit humiles.
« Neque inquit : Respexit sapientiam, quia stultam
« fecit Dominus sapientiam hujus mundi. Non deni-
« que ait : Quia respexit virginitatem, sed humili-
« tatem, quia inveniuntur et fatuæ virgines; proinde
« Bernardus ait : Elsi et virginitate placuit, tamen
« ex humilitate concepit. »

Abraham considerate, a Deo electum in omnium
credentium patriarcham et Patrem; imo ita a Deo
dilectum, ut aliquando ipsemet Dominus ex nimio
in Abrahamum affectu dixerit : *Ego sum Deus
Abraham; nun celare poterò Abraham quæ gesturus
sum, cum futurus sit in gentem magnam, et benedi-
cendæ sint in ipso omnes nationes terræ? Gen., xviii,
17.* Sed quod tandem assignabimus tantæ exalla-
tionis meritum? Frustra id inquirimus alibi, quam
in stabili humilitatis ejus fundamento : *Loquar ad
Domum meam, cum sim pulvis, et cinis.* Ecce vobis
quos de se fecerit conceptus, quando ad divinorum
secretorum participationem admissus est. Quam
abyssalem Patriarchæ hujus exhibitionem obstu-
pescens, S. Ambrosius dicit : Hæc humilitate Abra-
ham pater fidei nuncupatus est, qui cum divino
participaretur alloquio, terram se esse dicebat et
limum. *Enar. in Ps. cxviii.*

S. Petrus, postquam, per obedientiam verbis
cœlestis Magistri sui exhibuit, retia extendens,
copiosam cœpisset piscium multitudinem, mox se
ad ejus pedes prosternens, dixit : *Eci a me, quia
homo peccator sum*; quasi diceret, inquit Lucas Bru-
gensis : « Meam agnosco villitatem, dum tua se mihi
manifestat celsitudo. » Respondit autem ei Domi-
nus : *Ex hoc jam eris homines captiens.* Quibus ver-
bis, ex mente Divi Chrysostomi, illum Ecclesiæ suæ
caput declarabat.

S. Paulus in omnibus illustrissimis actionibus suis
humiliavit se; tantum nimirum ut D. Chrysostomus
dicere non dubitet : « Scire cupis quis vere sit

Versus 28.

*Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi
erat Joannes baptizans.*

1. — Circumstantia illa loci, quam Evangelista
allegat, mysterio non vacat, ut S. Cyrillus Alex. his
verbis indicat : « Ut accurate diligenterque factam
« esse narrationem significet; solemus enim, cum
« de rebus magnis facienda est narratio, etiam
« meminisse locorum, in quibus eas fieri conti-
« git. »

2. — Albertus Magnus per adductam sancti
Joannis Chrysostomi auctoritatem, permagni inter-
fuisse dicit, ut loci exacta haberetur notitia, in quo
hæc omnia acciderant, ut nimirum id non in an-
gulo quodam accidisse constaret, sed in loco pub-
lico, et in conspectu multorum, in tali videlicet
loco, ad quem ex omnibus partibus homines ad
Baptistæ prædicationem audiendam concurrere sole-
bant. Secunda autem ratio, quam adducit, est :
« Quia paulo ante factum est; et si quis dubitaret,
« poterat requirere ab hominibus ibi manentibus,
« Tertia causa mystica est : Quia Bethania domus
« obedientiæ interpretatur, quæ quia respicit omne
« præceptum, necessaria est baptizans, quia ipsa
« est perfecta justitia, sicut veniens Christus ad
« baptismum dicit, *Matth., iii, 13 : Sine modo, sic
« enim decet nos implere omnem justitiam.* »

DOMINICA QUARTA ADVENTUS

EVANGELIUM LUCE, CAP. III, VERS. 1-5

1. Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam,
tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, et Trachoni-
tidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha.

2. Sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha : factum est verbum Domini super
Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissio-
nem peccatorum.

4. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaie Prophætæ : Vox clamantis in deserto :
Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.

5. Omnis vallis implebitur : et omnis mons et collis humiliabitur : et erunt prava in
directa, et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutem Dei.

VERSUS 1.

Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, pro-
curante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem
Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus
tetrarcha Ituræ, et Trachonitidis regionis, et
Lysania Abilinæ tetrarcha.

1. — Cardinalis Toletus, in *Luc.*, Evangelistam

per superioris luminis instinctum, tempus, Prin-
cipes et provincias, quibus imperabant, diligenter
et punctualiter descripsisse notat, ad Messie com-
probandum adventum, majoremque historiae suæ
fidem conciliandam. Id quoque Salmeron, tom. IV.
tr. ii, pariter advertit, dum ait : « Notatur tempus
« missionis Joannis a lot Regibus atque Princi-
« pibus, quoniam tempus ac ætas Baptistæ in tem-

« pus Christi etiam atque etatem incurrebat, atque
« ideo tempus missionis Joannis Baptistae idem
« prorsus erat cum illo Christi, ex quo salus mundi
« profecta est. » Qui tamen alias quoque hujus tam
« accurate descriptionis causas adducit, nimirum ut
« denotetur legitima Christi aetas ad predicandum et
« docendum usurpata, quae erat tribus mensibus
« minor aetate sancti Joannis, aetas scilicet annorum
« triginta. Praeterea per horum Principum nomina-
« tionem, in bonorum vel pravorum motuum saeculi
« illius cognitionem devenitur: tales enim subditi
« esse solent, quales illorum sunt Principes: *Secun-
« dum judicem, sic et ministri ejus: et qualis rector est
« civitatis, tales et inhabitantes in ea. Ecli. x, 2.*
« Tempus quoque a Regibus et Sacerdotibus desumit-
« tur, quia Messias Rex pariter et Sacerdos futurus
« erat. Denique dicunt Salmeron, imperium Gen-
« tilium recensetur ut unum, Judeorum vero ut
« divisum et dispersum, ad denotandum viciniam
« horum dispersionem, viciniamque gentium reduc-
« tionem et unionem ad Christum, ut verificetur
« Danielis, adventum ejus vaticinantis, oraculum.

2. — In sensu vero mystico, dicit idem Auctor,
notari in hisce Principibus potest status miserabilis,
in quo mundus tempore adventus Filii Dei erat:
« Describit Evangelista secundum spiritum, statum
« mundi, qualis eo tempore sub diabolo, diversisque
« ejus ministris ac satellitibus, qui sunt maligni
« spiritus, extiterit, ut jam morbi gravitate cognita
« medico Christo opus esse intelligamus. » Etenim
« in Tiberio Satanas, in Pontio Pilato hypocrisis, in
« Herode vana gloria, in Philippo superbia, in Lysania
« ingens ad delicias et voluptates affectus adnotatur.
« Hi autem omnes sub Annæ et Caiphæ sacerdotio
« vivebant, nec sine mysterio: « Nam Annas humi-
« lians vel affligens exponitur, atque hic est spiritus
« ducens ad vitia carnis; Caiphæ declaratur sagax,
« vel investigans, vel ore vomens, et hic est spiritus
« trahens ad vitia spiritualia, astutiis, ad inventio-
« nibus et fraudibus; ad vomitumque, id est, ad
« cupiditates disponens carnis; nam peccata spiri-
« tualia vitii carnis plectuntur: talis ergo erat
« hujus mundi status et conditio, atque utinam
« nunc nostra culpa non sit deterior. » Bernardus,
« *Serm. 1, de Adv.*, infelicitatem quoque hujus saeculi
« his verbis ponderat: « Lux divinae notitiae parva
« admodum erat, et abundante iniquitate fervor
« refrigerat charitatis; » adducitque illum Apo-
« stoli textum ad Galat., iv, 4: *Quando venit plenitudo
« temporis, misit Deus Filium suum,* « nimirum pleni-
« tudo et abundantia temporalium, oblivione et
« inopiam fecerat aeternorum; opportune ergo tunc
« adventi aeternitas, quando magis temporalitas
« praevalerat. » Adimpletum tunc fuit, quod in
« Apostolo, *Rom., v, 20, 21,* legitur: *Ubi abundavit
« delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit
« peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam*

*in vitam aeternam per Jesum Christum Dominum
« nostrum.* Didacus Stella, in *Luc.*, ait: « In principibus
« mundi dominabatur tyrannus, in sacerdotibus
« simonia, universus orbis ita perditus erat, ut jam
« fere in praecipitium inferni abiret; » ac tandem
« in hisce verbis divinam admiratur pietatem: « In
« majoribus necessitatibus nunquam obliviscitur
« nostri, etiam nos tali auxilio simus indigni. »

3. — Lyranus super hunc Evangelii textum,
Romanos ad deprimendam Judaeorum potentiam,
omnemque illis adimendam seditionis et rebellionis
« occasionem, regnum illis ademisse, illudque in
« plura dominia divisisse dicit, id quod manifestum
« vicini Messiae indicium erat, quando nimirum secp-
« trum a Juda ablatum erat: « In Judaea regno per
« quartam partem multi principabantur, voce enim
« nostri Redemptoris dicitur: *Omne regnum in se
« divisum desolabitur:* liquet ergo, quod ad finem
« regni pervenerat, quae tot Regibus divisa subja-
« cebat; » ait Gregorius, *Hom. xx in Evang.* Lucas
« Brugenensis aliam quandam observationem adducit,
« dum ait: « In tanta Judaei regni seissura, quanta
« hic describitur, dominantibus ubique alienigenis,
« opportunus erat Christi nativi Regis adventus, »
« tantoque majorem in populo hoc ad ipsi occuren-
« dum, digneque illum recipiendum occasionem
« reperire poterat quanto a Romanis acerbius angari-
« abatur. » Terrentum regnum et sacerdotium, »
« inquit Jansenius, *Concord. xv,* « apud Judaeos male
« habebatur, nunquam etenim ad percipiendam
« caelestia magis capaces sumus, quam ubi terrena
« omnia adversa cadunt. *Imple factes eorum igno-
« minia, et quaerent nomen tuum Domine.* » Ps.
« LXXXII, 17.

4. — Lucas Brugenensis circa illam dictionem *Anno*,
notat, annum hunc valde fuisse fortunatum atque
« felicem, ita namque etiam a Propheta Evangelico
« appellatus fuit: *Anno quem vocat placibilem, et
« acceptabilem, Isaie, Lxi, 2.* Sciendum quoque est,
« scopum Evangelistae fuisse aetatem referre, in qua
« Salvator praedicandi officium exorsus fuit, quae
« fuit xxix annorum completorum: cumque jam tri-
« gesimum aetatis annum ingressus fuisset, sanctum
« Joannem protinus velut prodromum et praecursor-
« em praemisit, ut in praedicationem proximam, et
« in foribus esse populo annuntiaret. Didacus Stella,
« in *Luc.*, proinde ait: « Juniores aetatem neque
« Praelati officium postulat, neque praedicationis
« munus decet. » Et quidem tametsi tam Baptista,
« quam Christus diu ante praedictam aetatem predi-
« care potuisset, verumtamen, inquit Didacus Stella:
« « In hoc quidem ambitionem hujus temporis ado-
« lescentium reprehendit, et docet, praedicationis
« Evangelicae munus nonnisi perfectis hominibus
« committendum. » Considerandum quoque est
« egregium exemplum, quod Verbum aeternum, ipsa-
« que Sapientia Patris, de qua scribitur: *Verba vita*

aeternae habes, nobis post se reliquit: nam tametsi
« in terram descenderit pro hominum salute, quae
« principaliter Verbo Dei mediante consummatur,
« nihilominus adusque trigessimum aetatis annum,
« alium silentium servare voluit.

Additiones.

a. — *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris,*
« etc. Cardinalis Toletus, in *Lucam*, optime in hisce
« Principibus, miserabilem mundi conditionem, sum-
« mamque Dei notat convenientiam, conditionem,
« inquam, et statum mundi in quo tempore adventus
« Filii Dei erat. Didacus Stella, in *Lucam*, eundem
« mundi statum describens ait: « In Principibus
« mundi dominabatur tyrannus; in Sacerdotibus,
« simonia; universus orbis ita perditus erat, ut jam
« fere in praecipitium inferni abiret. » Ac tandem
« hisce verbis divinam admiratur pietatem: « In
« majoribus, » inquit, « necessitatibus, nunquam
« obliviscitur nostri, etiam nos tali auxilio simus
« indigni. » Sic enim misericordia Dei variis utitur
« modis, ut nos ad se trahat, et peccatores quantum-
« vis pessimis convertat.

Hujus divinae erga peccatores sollicitudinis, speci-
« men habemus, a primo generis exordio. Vix enim
« divinum praecipitium transgressus Adamus, aeternae
« mortis reus factus fuerat, cum ecce Deus in Paradiso
« terrestri, post meridiem, deambulans, conspectus
« fuit, velut si quispiam in fervidissima aestatis
« ardore suavem ventum, refrigerii causa secleretur:
« *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis, in
« Paradiso, ad auram, post meridiem.* S. Basilius,
« super illa verba Psalmi cxv, 5: *Deus noster misere-
« tur,* nostram ex tante felicitatis statu ruinam
« deplorans, inquit: « In Paradisi statione nobilitati
« « eramus, et ob ruinam postea inglorii et humiles
« « facti sumus. Deus noster miserebatur nostri, ani-
« « madvertens quales ex quibus facti simus. Idcirco
« « et Adam misericordiae voce revocabat dicens:
« « Adam, ubi es? » Diligentem illam transgressionis
« Adami et Eve fecit, non ad judicandum illos, sed
« ut eosdem ad proprii erroris agnitionem perductos,
« ad ejus implorandam clementiam instigaret. Ita
« enim docet S. Gregorius Magnus, inquit: « Ad
« hoc quippe requisiti fuerant, ut peccatum, quod
« transgrediendo commiserant, confitendo dele-
« rent; unde et serpens ille persuasor, qui non
« erat revocandus ad veniam, non est de culpa
« « requisitus. »

Quod si hoc loco Deum ideo inter Paradisi arbusta
« obambulare diceremus, ut sibi ex omnibus arbori-
« bus lignum eligeret, in quo post assumptam hanc
« fragilitatis nostrae carnem, pro nostra redemptione
« illa crucifigeretur, utique a sensu, et mente sanctae
« Matris Ecclesiae, nequaquam recederemus, siquidem
« haec in hymno quodam ita canit: « De Parentis pro-
« toplasti frande factor condolens, quando pomi-

« noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum
« tunc notavit, damna ligni ut solveret. » Hugo
« Cardinalis ex auctoritate Glossae horam observans, in
« qua Deus Paradisum obambulabat, scilicet post me-
« ridiem, ita scribit: « Unde hora nona Christus spiri-
« tum emisit, qui sexta hora crucifixus fuit, ut eadem
« hora restitueretur homo, qua de Paradiso esse eje-
« tus. » Ad haec quod primi parentes e paradiso
« proscripti sunt non tam ex impulsu justitiae Dei quam
« misericordiae, dicens S. Cyrillo: « Constituit illum
« « e regione Paradisi, ut videat unde excederit, deim-
« « ceptusque per penitentiam salvaretur. »

Cum Aeternus Pater unicum haberet Filium,
« cumque talem de quo saepius protestatus est di-
« cens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene
« complacuit,* eundemque Filium in patibulo crucis,
« in expiationem peccatorum nostrorum, et in satis-
« factionem, ex toto rigore justitiae, pro omnibus
« nostris delictis faciendam, mori voluerit, pro hoc
« utique infallibiliter dedit signum, quod pietatem
« nobiscum, non vero severitatem exercere velit.
« Quod argumentum S. Bernardinus Senensis, in
« sermone quodam his verbis adducit: « Quid magis
« ad spem venia mentes erigere poterit et veri-
« milius ostendere valuit: Deum velle misereri
« hominibus, quam quod Pater misericordiarum
« proprio Filio suo, ut eis parceret, non pepercit?
« Et ipse Filius, ut immunes et illius ipsi abirent,
« « latrociniorum ipsorum dignatus est perferre sus-
« « pendium? »

Bonus ille Paterfamilias sapienti consilio usus
« est, quando non subito enata in agro zizania eradi-
« cari voluit, utpote proci sciebans, eadem zizania, per
« divinam longanimitatem, et patientiam, tolerata, in
« frumentum saepius transmutari.

Sed si de excessivis Dei miserationibus digniorem
« voluerimus formare conceptum, S. Cyrillum Jeroso-
« lymitanum auscultemus, dum nobis Nabuchodonoso-
« sor regem in haec proponit verba: « Nam opinio-
« nem habebis de rege Nabuchodonosor? Audistis
« « ex Scripturis, quod sanguinarius erat, et ferus
« « homo leoniam quandam mentem habebat? »
« Nonne audisti illam ex sepulchris ossa regum
« « ejecisse? populum captivum abduxisse? regis
« « oculos excecasse? Nonne audisti quod Cherubim
« « contrivit? sed et propitiatorium, in cujus medio
« « vocem edebat Deus, et velum tunc complucavit.
« « Thuribulum accipiens ad idolorum delubrum
« « transtulit; sustulit omnes oblationes, templum
« « funditus combussit. Quantis hic dignus erat
« « poenis? Numquid non millies mori meruerat?
« « Vides scelus magnitudinem? » Quisquis igitur
« admirabile, quod divina bonitas atque clementia, in
« hocce monstro convertendo advenit artificium,
« contemplari voluerit, ad varia, quibus Deus puni-
« vit, oculos suos reflectat, conjiciatque flagella, cum
« S. Basilio, dicente: « Convertere ad Dei clemen-

« tiam : in bestiam transmatus est, in solitudine
« degebat, flagellatus est. » Sed quo fine hæc omnia
facta fuisse arbitramini? Respondet idem sanctus
Doctor : « Ut salvaretur. » Nam ut Vincentius
Bellocvacensis ait : « Effectus divine misericordie
« est quia peccatorem multipliciter revocare cona-
« tur, videlicet : corrigendo, flagellando, blan-
« diendo, promittendo, vocando predicationis vel
« locutionis verbo, incitando, reclamando, et inspi-
« rando interno consilio, increpando aliquo terribili
« signo. » S. Laurentius Justinianus, *De triumph.*
Christi agon., c. xxix, dicit : « Ut mutentur pecca-
« tores in melius, sua illis dona communicat, blan-
« ditis afficit, muneribus ornat, premit flagellis,
« terret minis, exhortationibus vocat, revocat
« indulgentia, charitate trahit, quoniam non vult
« peccatorem mortem, sed magis ut convertatur et
« vivat. Nempe immanis non est ut in mortentium
« perditione lætetur, quin potius ut salventur per
« penitentiam, hominum peccata dissimulat. »

b. — Volens Deus, ad manifestandum mundo
Filium suum hominem factum uti, opera S. Joann-
nis, septimo ætatis anno tulit eum in desertum, ad
hoc ut in eo per considerationem glorie æternæ
animum suum ad labores, imo mortem ipsam, ob
veritatis defensionem futuris temporibus subeun-
dam, prepararet. Multum enim ad tribulationum
tolerantiam confert beatitudinis consideratio; liben-
ter enim quævis adversitas toleratur, utpote quæ
spe æternæ retributionis suavis esse videtur, dicente
S. Paulo, *Rom.*, vii, 18 : *Non sunt condigna passio-
nes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revela-
bitur in nobis.* S. Gregorius, lib. VIII *Moral.*, exami-
nans ejusdem Apostoli miserias et passiones, quas
ipsemet S. Paulus in Epistola II ad *Corinth.*, xi, re-
censet, concludit : « Sed quomodo remunerationis
« linteo sudores tanti laboris tergat, ipse denun-
« tiat, dicens : *Non sunt condigna passiones hujus
« temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in
« nobis.* Dum profectum remunerationis considerat,
« vile æstimat quod pene deficiens laborat. »

c. — Non sine singulari mysterio, Evangelista
hæc apponit omnes qui in exordio predicationis
Joannis principabantur, nam describere voluit mi-
serum statum, ad quem respublica judæica
devenerat, et ideo in extrema illius terminatione
atque ultima conclusione, Herodem, Philippum et
Lysaniam ponit. Nam hi tres fratres erant, filiique
Herodis Idumæi. Et reipublicæ in eo stat universa-
lis ruina, quod totum illius regimen inter consan-
guineos et amicos sit divisum; alii namque partes
horum non sequentes, ad justitiam habere aditum
minime valent; ex quo advertendum quantum con-
servationi reipublicæ intersit, ut iudices se ab ami-
citiæ seu parentelæ moveri nullo modo sinant.
Quantum ab illis iudicibus nascatur præjudicium,
qui a passione rapi se sinunt, Abulensis his verbis

insinuat, *quæst.* 10, in *cap.* xxiii *Exod.* : « Conside-
« randum, quod judicia plerumque detorquentur
« propter passiones iudicum, ut quia videntur ad
« iram, vel odium, vel amorem, aut invidiam. Cum
« autem ad aliquam istarum iudex commotus fue-
« rit, necesse est male judicare. » S. Bernardinus
enumerat scopulos quatuor, ad quos iustitia impin-
gens submergi et naufragari solet : « Mutari a
« recto affectus solet quadruplici affectione mentali
« quæ sunt amor, odium, spes et timor.... Amor
« affectum trahit ad suum compartialem et ami-
« cum; odium ab adversa parte repellit; de dilectis
« enim difficulter male sentimus, sicut de non
« dilectis difficulter bene. Offendit amicus, culpa
« magna æstimatur parva. Delinquit adversarius,
« culpa parva sentitur magna. Servit dilectus,
« super sidera exaltatur, fidelisque plenis faucibus
« prædicatur. Aliter contrariæ partis, maxima præ-
« stat commodo, impendit magna servitia, parvi
« penditur, eique detrahitur. Ex quacumque causa
« patratur crimen, pro sua partiali quilibet supplex
« orat, culpam minuit, aut ipsam negat, aut pro
« misericordia instat. Pars vero adverso offensam
« gravat, justitiam postulat. Adest spes suæ parti
« inherens, et timor contrariam partem pavens.
« iudicantis intellectus his mentis turbidibus con-
« quassatus, discernere verum nescit; vix vult, et
« si fas est dicere, nequaquam potest. Inde conse-
« quens est quod reus justificatur, innocens con-
« demnatur. »

d. — Recenset sacer Evangelista, quod anno
quintodecimo imperii Tiberi Cæsaris, procurante
Pontio Pilato Judæam, verbum ad Joannem factum
sit. Et bene præmittitur ab Evangelista, perditissi-
mus tunc mundi status, moribus profligatissimus
ut sub talibus præpositis, par erat, quo prædicatio
Joannis opportuna videatur ad penitentiam suade-
lam et peccatorum remissionem. Sed quare de
tanti concionatoris probitate nil ante loquitur Evan-
gelista? Peridoneo opinor Matthæus, et Matthæum
de more imitatum Marcus, Joannis vitam asperita-
tibus perstrictam ad predicationis energiam præ-
fatus est. Unde quod alto silentio Lucas occultavit,
Matthæus, iii, 4, sic fatur : *Habebat Joannes vesti-
mentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa
lumbos suos. Esca autem illius erat locustæ et mei
sylvestrum.* Prædicator enim efficaciter persuadere
volens, verbis opera adjungat necesse est; imo
oportet, ut opera et exempla præcedant. Ac pro-
inde Doctor gentium qui in cœlesti Paradisi acade-
mia eruditus fuit, S. Timotheo discipulo suo et
Episcopo Ephesino scribens, his eum verbis exhor-
tatur : *Labora ut bonus miles.* Et ubi Vulgata nostra
in *Epist.* ad Philipp., iv, 3, legit : *Adpreca illos quæ
mecum laboraverunt in Evangelio,* in greco legitur :
Quæ mecum concertaverunt. Regius quoque Psaltes,
in *Psalmo* cxlix, 6, prædicationem apostolicam, qua

universus convertendus erat mundus, proliganda-
que idolatriæ tyrannis, ita describit : *Exaltationes
Dei in gutture eorum, et gladii accipites in manibus
eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpa-
tiones in populis.* Per gladios enim accipites ver-
bum Dei intelligitur, de quo Apostolus ait : *Gladium
spiritus, quod est verbum Dei.* Merito autem dicuntur
gladii accipites in manibus eorum esse, quia cum
per manus opera denotentur, gladii in manibus
significant verbum Dei conjunctum cum bonis
operibus et virtuosus exemplis.

S. Bonaventura, *Serm.* 1 in *Sæc.*, seminari
Evangelico sequentia primi Psalmi verba adaptat :
*Et in lege ejus meditabitur die ac nocte, et erit tan-
quam lignum quod plantatum est secus decursus aqua-
rum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Dicit
igitur Seraphicus Doctor : « Primo prædicator
« debet se applicare ad legem divinam, ut quod
« intelligit opere compleat; et deinde meditari in
« lege ejus die ac nocte, qualiter debeat alios
« instruere, quia tunc erit tanquam lignum quod
« plantatum est secus decursus aquarum, id est,
« divinarum influentiarum, quod fructum suum
« dabit in tempore suo. Sed multi dant fructum non
« suum, eo quod opera gravia et importabilia aliis
« imponere; ipsi autem nolunt ea digito movere.
« Alii autem proferunt fructum non in tempore
« suo, sed ante tempus, eo quod, sua auctoritate,
« volunt prius docere quam discere. Et ideo ver-
« bum eorum sæpe scandalizet et ignorantie et male
« vite, defuit in vanum, pro contemptum audien-
« tium; quia cujus vita despicitur, restat ut ejus
« prædicatio contemnatur. »

VERSUS 2.

*Factum est verbum Domini super Joannem,
Zachariæ filium, in deserto.*

Factum est.

1. — Salmeron verbum factum est considerat;
per hoc namque intinatum est, aggrediendum a
Joanne predicationis faciendæ exordium, per quam
tot animas errabundas lucratus fuit, ad peniten-
tiam eas reducendo. Dicitur autem : « Factum est
« verbum Domini, non vero dictum est, ut innuatur
« hanc prophetiam potissimum editam, non ut
« discamus tantum loquamur, at ut faciamus et
« operemur, ideo non ait, dictum est verbum
« Domini, sed factum est; » idque probat per S.
Jacobi Apostoli, 1, 22, monitum dicentis : *Estote
factores verbi, et non auditores tantum, fallentes
vosmetipsos.*

2. — Neque S. Lucas dicit, quod S. Joannes ultro
se applicerit ad exercendum ministerium predi-
cationis, tamen si per oracula prophetica tanquam
Christi præcursorem ad hoc secret esse destinatum,

quin potius expectavit, donec id sibi per divinum et
expressum imperium et preceptum esset imposi-
tum. Unde Theophylactus ait : « Ut discas, illum
« non temere, neque citra vocationem ad testifican-
« dum Christo prostrilisse, sed divino motum spi-
« ritu. » Unde Janenius legit : « Jussio et inspi-
« ratio Domini super Joannem. » In Glossa pariter
legimus : « Hæc clare ostendunt, Joannem ad bap-
« tismi et verbi ministerium se non ingressisse, sed
« a Deo vocatum et missum esse. »

Verbum Domini.

3. — Albertus Magnus, in *Luc.*, sensum horum
verborum per expositionem Glossæ declarat, dicen-
tis : « Hoc est, vadit et prædica. » Theophylactus
dicit : « Per verbum, intelligit Spiritum Sanctum,
« vel mandatum Dei. » Toletus dicit, commissio-
nem hanc S. Joanni datam fuisse ad prædicandum,
ad ministrandum baptismum, et perhibendum
divinitati Filii sui testimonium. « Jussus est a Do-
« mino baptizare, et manifestare. » Circa modum
autem, quo et hæc commissio data fuit, Dionysius
Carthusianus ait : « Divina jussio facta est Joanni
« sive per exteriorem Angelicam apparitionem, et
« allocationem, vel per imaginariam visionem. »
S. Lucas quidem non declarat, an hæc commissio
ei data fuerit vigilanti, an vero dormienti; hoc
tamen certum est, inquit Dionysius Carthusianus,
quod visionibus et revelationibus cœlestibus fre-
quenter fuerit honoratus.

4. — Salmeron ex hisce verbis utilia documenta
elicit pro illis, quorum munus est ad imitationem
S. Joannis prædicare verbum Dei, animasque er-
rantes ad penitentiam reducere : Quia « notatur
« Propheta in amicitiam Dei receptus; nam tactus
« hujusmodi hominem sanctificat, juxta verbum
« Domini, *Joann.*, x, 35 : *Si illos dixit Deus, ad quos
« sermo Dei factus est.* » De Sapientia divina simi-
liter, *Sap.*, vii, 27, legitur, quod *In animas sanctas se
transfert, amicos Dei et prophetas constituit.* Etenim
energia, doctrina et faciendæ evangelicæ corda
exigit pura, munda, innocentia, et a Deo edocia et
erudita, dicente Psalmista, *Psal.* xciii, 12 : *Beatus
homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua
docueris eum.* Filius Dei, qui ipsissima est Patris
Sapientia, triginta annis tardavit, priusquam mi-
nisterium evangelicum exercere inciperet, quo
tempore prius a Joanne loti mundo testimonium
perhiberi voluit innocentie et divinitatis sue, dis-
posuitque insuper, ut interea temporis æternus
ejus Pater voce delapsa de culo eum Filium suum
esse, et tanquam tali promptas et expeditas aures
esse porrigenas contestaretur : *Hic est Filius meus
dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*
Luc., ix, 35. Denique prius super ipsum Spiritus
Sanctus in specie columbæ visibiliter requiescere
debuit, non obstante, quod munus prædicandi

illius per sacras Scripturas, omniumque Prophetarum vaticinia et oracula canonizatum fuerit; unde clare deducitur, quanta cum cautela nobis munus docendi, et predicandi alii adendum sit. Unde idem Salmeron ait: « Erudimur non recte prae-
« care nisi illos, quibus intus factum est verbum
« Domini, et infusum in cor eorum. »

5. — S. Joannes quoque Evangelista, ut Baptis-
tam munus illud ex semetipso nequaquam adisse,
seque huic officio ultro citroque ingessisse insinua-
ret, dixit: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat*
Joannes, ut sic adimpleretur in eo, quod Apostolus,
Rom., x, 13, ait: Quomodo praedicabunt, nisi mittan-
tur?

Super Joannem.

6. — S. Bonaventura, in *Luc.*, dicit, id est, super
illum, « In quo est gratia, » siquidem Joannes idem
est, quod gratia; idque divina sapientia, de qua
scribitur: *Omnia in patientia fecisti*, ordinatissime
disposuit, eo quod dandum fuerit novae legi gratia
principium: *Factum est verbum Domini super Joan-*
nem; id est, ut Glossa ait, « ad Joannem, quod
« quidem est, desuper sola Dei gratia, prius ope-
« ratur Verbum intus, et declarat Joanni, quae velit
« ab ipso proferri, postea profert Joannes; sequitur
« Verbum, intus operans, sonus vocis exterioris
« sonans. »

Zachariae filium.

7. — Nominatur ab Evangelista pater, ut sciamus
arborem, cui fructus iste a nobis in acceptis
est grata mente referendus; de ejus genitoribus
legimus: quod erant: *Incedentes in omnibus man-*
datis Domini, justi ambo ante Deum: qualis pater,
talis filius. Luc., i, 6.

8. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac Dom.*,
in sensu mystico ita exponit: « Joannes Prelatum
« vel Predicatore sanctae Ecclesiae significat, qui
« debet esse filius Zachariae, qui interpretatur me-
« moria Domini, ut semper habeat in memoria
« quasi in quodam memoriali passionem Domini. »

In deserto.

9. — Nicophori opinio fuit, quam etiam S. Petrus
Martyr Alexandrinus professus fuit, quod S. Joannes
etiannum puerulus in desertum se subduxerit,
occasione stragis, quam Herodes impius in inno-
centes puerulos instituit; tunc enim S. Joannes in
desertum fugisse creditur, ut illam fugeret perse-
cutionem; finis autem principalis hujus secessus
paulo superius a nobis insinuat fuit, ex hymno,
quem in ejus festo cantat Ecclesia, scilicet: « Ne levi
« saltem maculare vitam crimine posset; » fugit
igitur ut intactam innocentiam suam conservaret;
quam ab utero matris suae, in quo a Spiritu Sancto,
sanctificari meruit, contraxerat. S. Hieronymus ad

Rusticum ita de eo scribit: « Joannes Baptista
« sanctam habuit matrem, Pontificisque filius erat,
« et tamen nec matris affectu, nec patris opibus
« vincebatur, ut in domo parentum cum periculo
« viveret castitatis: vivebat in eremo, et oculis
« desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur
« aspicere. »

10. — Glossa in sensu allegorico per hoc des-
ertum Ecclesiam significari existimat: « *In deserto,*
« id est, in Ecclesia, quae prius deserta, modo
« plures habet filios: Factum est ergo verbum in
« deserto, ut quae tunc erat deserta, fructum nobis
« in terra germinaret. » In Theophylacto quoque
sequentia verba legimus: « Quandoquidem filios
« deserte multiplicatus erat, Ecclesiam dico ex
« gentibus, magis quam ejus, quae habet virum,
« hoc est Judaicae synagoga. »

11. — Salmeron, *tract. III*, pulchre considerat,
quod sicut lex scripta Moysi a Deo in solitudine
quadam data fuerat, ita quoque in simili loco legis
novae Evangelicae promulgationem fieri voluerit;
« ut exordium novae legis responderet lationi veteris
« legis, quae in deserto Synai data est. » Subjungit
quoque aliud quoddam mysterium, dicens: « Deinde
« praecursio haec ad totum mundum pertinebat, ut
« omnes crederent per illum; et enim Christus
« extra portam passus est, significans quod pro
« omnibus Patri obtulit mortem, ita extra Jerusa-
« lem coepit praedicatio Joannis in deserto, quo
« recte mundus designatur, qui sine Christo merum
« est desertum. »

12. — Porro ratio horum verborum litteralis ab
aliis expositoribus affertur, et in specie quidem a
Theophylacto, quem S. Thomas in *Catena* sua citat,
nimirum quia ab infantia, usque ad trigessimum
aetatis annum in deserto, omnibus ignotus et
absconditus commemoratus fuerit: « Ut nulla suspicio
« innascatur hominibus, ut gratia affinitatis ad
« Christum, vel conversationis a teneris annis, talia
« de ipso testaretur; unde ipse testificans dicebat:
« *Ego nesciebam illum.* » Toletus quoque idem
punctum teligit, dum ait: « Cum enim esset secun-
« dum carnem Christo conjunctus si conversatus
« esset cum eo, et cohabitasset cum hominibus,
« suspicandi occasionem accepissent, affectu carnis
« illum duci, quae suspicio ablata fuit, quando in
« deserto habitans, nec videndi occasionem habue-
« rat. »

13. — S. Antonius de Padua, in sensu morali,
dicit: « Ubi desertum, ibi verbum Dei, » adducit-
que illum locum Psalmi *LXXI*, 3, ubi dicitur: *In*
terra deserta, et in via, et in aquosa, sic in sancto
apparui tibi: « notantur virtutes, quae sanctificant
« hominem; et ad contemplandum Deum mentem
« illuminant; terra deserta, est paupertas; in via,
« id est, castitas; in aquosa, id est, abstinencia. »
Salmeron in eodem sensu scribit: « Qui se propter

« Deum terrenis solatiis privatur, atque in deserto
« vivunt, coelestes digni fiunt accipere consolatio-
« nis afflatusque divinos. »

14. — Idem quoque aliam rationem assignat,
videlicet quia in Ecclesia quoddam vitae eremiticae
speculum esse debebat, quod imitarentur illi, qui
mundum totaliter contemntes, sese solos contem-
plationi dedunt. « Ex deserto prodit, ut hac ratione
« penitentiam agentium vitam adumbraret, et
« mundum despicientium divinisque vacantium
« contemplationibus. »

15. — Lucas Brugensis aliud quoddam hujus
loci mysterium attingit, dicens: « Idoneum cum
« quo loqueretur, et negotium reparanda salutis
« humani generis tractaret Deus. »

Additiones.

a. — *Factum est verbum Domini super Joannem*
Zachariae filium in deserto. Hoc intelligas, notanter,
et non sine mysterio hic dici factum esse verbum
Domini in deserto postquam jam mundo valefecerat,
ut solis coelestibus viveret. Quisquis enim Christum
sequi, necnon de mysteriis coelestibus participare
desiderat, mundum perfecte contemnere, et illum
ut contemnat perfecte, sola coelestia respicere debet,
ubi Joannes fecit in deserto. Ecce in navi Christum
sequuntur Apostoli; hoc enim perfecta Christi habet
sequela, quod nullam terrenarum rerum curam
admittat. Quod innuit D. Macarius, *Hom. XLIV*,
dicens: « Sicut qui sunt in navi non bibunt ex
« mare, neque ex eo victum sumunt, sed aliunde
« important in navem, hoc modo christianorum
« animae, non a saeculo isto, sed desuper a caelo,
« cibum coelestem capiunt. » Unde quisque sapiat, ubi
Christum sequeris, mundum transi, de coelestibus
tibi victum et saturitatem para, ut Joannes fecit in
deserto. Quisquis enim mundum perfecte contem-
nere cupit, sola coelestia respiciat necesse est. S.
Leo, in *secundo de Ascensione Domini sermone*, post-
quam nostros ad bona immortalia consideranda,
invitasset oculos, in primis autem corda, tandem
his nos exhortatur verbis: « Sursus vocatos animos
« terrena desideria non depriment; ad aeterna
« praeelectos peritura non occupent, et ita a fide-
« libus haec temporalis decurrantur, ut peregrinas-
« se in hac mundi valle cognoscant, in qua, etiamsi
« quaedam commoda blandiantur, non amplectenda
« nequiter, sed transeunda sunt fortiter. » S. Ber-
nardus, *Serm. VII, de modo bene vivendi*, dicit: « In
« transfiguratione Domini, reprehenditur Petrus,
« quod tabernaculum in monte fieri voluerit, quia
« sanctis in hoc mundo tabernaculum non est,
« quibus in caelo patria et domus. » Et S. Grego-
rius: « Anima videntis Creatorem, angusta est
« omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce
« Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod crea-
« tum est. » S. Augustinus, in pluribus locis, ab

amore mundi nos retrahere nititur. Et quidem in
primis, in *Sermone III, de tempore*, inquit: « Amaram
« potionem mundus suis dilectoribus propinat. O
« infelicitas generis humani. Amarus est mundus,
« et diligitur; putas si dulcis esset, qualiter ama-
« retur? Vos alloquitur veritas, dilectores mundi:
« ubi est quod amat? ubi est quod pro magno
« tenebatur? ubi est quod dimittere nolentis? » Et
in alio quodam sermone causam exponit, ob quam
Deus tot spinas inter mundi rosas immiserit,
dicit: « Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritu-
« dines miscet, ut alius queratur felicitas, cujus
« dulcedo non est fallax, et de ipsis amaritudinibus
« conatur mundus avertere ab eo, quod intendis in
« anteriora, et retro convertere. » Denique super
Symbolum ad cathedram, pariter inquit: « Ecce
« ruinosus est mundus; ecce tantis calamitatibus
« replevit Dominus mundum; ecce amarus est
« mundus et sic amatur. Quod faceremus, si dulcis
« esset? O munde immunde! Teneri vis perieris,
« quid faceres si maneres? »

b. — Dicit sacer textus factum esse verbum
Domini ad Joannem; et tamen non commemoratur
id quod dictum est Joanni, seu quae verba eidem
dicta sint, ut passim de aliis Prophetis legimus. Sed
in promptu hujus rei ratio est, quia haec tacentur et
solum dictus, *venit in omnem regionem Jordanis*, ut
excellens Joannis describatur obedientia. Haec enim
cum esset perfectissima, potius operibus quam
verbis declaratur. Et idem erat quod ei aliquid
praecipere, ac quod ipse exequeretur. In obedi-
entia enim velocitatem et promptitudinem exigit
Deus. Regius Psalmista, de Spiritibus Angelicis
dissertens, *Psal. CII, 20*, eosdem in divina voluntate
exequenda adeo promptos esse asserit, ut quasi
discernere nequeat, an adimpletio et executio praeci-
pti ipsam praecedat, et vero e contra:
prius enim dicit: *Fuientes verbum illius*, et postea
subjungit: *Ad audiendum vocem sermonum*. Unde
Agellius verba illa sic exponit: « Vix dum audie-
« runt vocem divini praeccepti, et statim faciunt
« verbum ejus, ut quamvis divini verbi praecceptum
« antecedit, tamen tanta illorum in obsequendo
« celeritas et intentio est, ut nescias pene, quid
« prius sit, vox sermonum Dei, an illorum in
« exequenda velocitas. » Talis quoque indolis verus
esse debet obedientis, nam ut S. Bernardus ait:
Fidelis obediens praeripit praecipientem. Idem, *Ser-*
mones de Sancto Martino, similis obedientiae meritum
his verbis expendit: « Nec sane dubium, quin am-
« pliores gratiam mereatur, qui paratum se exhi-
« bet, etiam ante mandatum, quam qui obedi-
« re satagit post mandatum. »

Tales erant monachi tempore S. Hieronymi de
quibus idem Doctor in haec verba scribit: « Subditi
« ante conabantur jussa implere, quam forent
« emissa, et quibusdam quodammodo indicibus nite-

« hantur prophetate de voluntate mandantis. » Taulerus a Blosio citatus de obedientia inquit : « Hec hominem subdit Ecclesie, ejusque sacramentis, pastoribus, superioribus, dogmatibus, preceptis, institutionibus, consiliis, consuetudinibusque universis. Verus obediens velle et nolle sum prorsus abnegat, et in exequendo ea quae praecipiantur moras non necit, sed mox ubi ei aliquid injungitur paratus est : imo vero praecipulum non expectat. » In hoc enim puritas hujus virtutis praecipue consistit, quando quis quod debet, adimplet, priusquam ei praecipiat : *Facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonum ejus*. Nam ut Bellovacensis ait : « Voluntas superioris, quoque modo innotescat, est quoddam tacitum praecipulum, et tanto videtur obedientia « promptior, quanto praecipulum expressum obediendo praevient voluntas superioris intellecta. » Albertus Magnus similiter ait : « Verus obediens « nunquam praecipulum expectat, sed solum voluntatem Praelati sciens, vel credens, ferventer exequitur pro praecipulo. » Cum Abraham dormiens a Deo jussus fuisset filium suum Isaac in sacrificio immolare, dicit sacer textus : *De nocte consurgens*. Non explevit auroram, quantumvis credibile sit quod affectus paternus eum extimulaverit, ad differendam praecipulo adeo ardui, et legi naturali repugnantis, executionem, quantum poterat. Attamen ipse, de nocte consurgens, adorari voluit praecipulo executionem : « Verebatur enim, ne votum mora « offenderet, » inquit D. Chrysostomus, « aut jussionem tarditas impediret. »

e. — Non incongrue hic queri potest, quare Joannes dicatur Zachariae filius, absque cognomento sacerdotis? Communior vero hujus quaesiti solutio est, quod dicatur Zachariae filius ad demonstrandam nobilitatem Baptistae, utpote qui a tanto parente genitus erat. Deinde quia in animi splendoribus, ut illius filius se gererat. Tandem vero, Joannem Praelatum vel Praedicatorum sanctae Ecclesiae significat, qui debet esse filius Zachariae, qui interpretatur *memoria Domini*, ut semper habeat in memoria quasi in quodam memoriali, passionem Domini. Unde *Isaias*, xxvi, 8 : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae*. Quod idem Christus Dominus sollicite ab omnibus requirit. Redemptor noster fideles suos invitare contendit, ut quo adusque viatores sunt, ad dolorosam ejus passionem se reflectent, eamque attente meditentur. Hoc enim volunt illa acerba *Lamentationum*, 1, 12, verba innuere : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus*; nam ut Simon de Cassia ait : Christi passio inter gesta, mente magis quam calamo tractanda est, et patientiam ejus contemplationibus exponenda est, non litteralibus elementis. In quorundam sanctorum vitis varias legimus a Redemptore illis praecipere animabus factas summae

benevolentiae et amabilitatis significationes, quae ad hoc mysterium meditandum praecunctis aliis mente sua vel maxime applicatae fuerunt. Qua de re, in primis, piissimus Blosius ita scribit : « Frequenterissime Dominus revelavit charissimis Sponsis suis Gertrudi, Brigittae, Mectildi, Catherine, quam sit, « et sibi acceptum, et homini fructuosum, recolare « passionem, pia, et humili, et sincera attentione, « vel devotione, quod et ipse diligentissime semper « fecerunt. » Idem quoque pius scriptor sequentem refert B. Henrici Susonis discursum, dicens : « Suso « in dialogo introducit Sapientiam aeternam, videlicet Christum Jesum, colloquentem de passione « sua cum ministro suo, ita : Mihi longe gratius est « cor hominis, si omni caduco amore sit vacuum, « atque ad imitandum vitam meae preclarum exemplar, perpetua sedulitate intentum, quam si contentinis me prosequatur lamentis, totaque fundat « lacrymas quot unquam pluviae guttae ex aere « prolaxerunt. Siquidem acerbissima mortis perpassione, hoc potissimum spectavi et volui, ut me « homines imitarentur. » Ludolphus Carthusianus, in libro, quem de morte Christi composuit, in haec verba scribit : « Multum placet Deo, quod « homo memoriam passionis, et vulnerum ejus « portet in corde suo. » Et S. Bonaventura, in *Stimulo amoris* : « O passio mirabilis, quae sum « meditatorem non solum reddit angelicum, sed et « divinum! » Ex quibus verbis satis comprehendendi potest quam sit Christo sanctum hoc exercitium praecipuum alio gratum et acceptum. Nec mirum est, id a Seraphico Doctore tam averseaverat scribi, quia ut suo loco dicemus, ipse hujus rei specialem habebat experientiam, utpote qui in solo Crucifixi libro studia sua tractabat.

d. — Fuit quondam opinio Nicephori, quam etiam S. Petrus Martyr Alexandrinus professus fuit, quod S. Joannes etiam puerulus, in desertum se subdiderit, occasione stragis, quam Herodes impius in innocentes puerulos instituit. Tunc enim S. Joannes in desertum fugisse creditur, ut illam fugerit persecutionem. Finis autem principalis hujus secessus insinuat ex hymno, quem in festo ejus canit Ecclesia, scilicet : « Ne levi saltem maculare vitam « crimine posses. » Fugit igitur ut intactam innocentiam suam conservaret, quam ab utero matris suae, in quo a Spiritu Sancto sanctificari meruit, contraxerat. Fugit uno verbo, ut omnes peccandi declinaret occasiones. Mundus enim laqueorum, id est occasionum et periculorum peccandi plenus est, eademque omni studio a nobis sunt fugienda. « Fallitur prorsus ista persuasio et nimia vanitate « veterascit, » ait S. Leo Magnus, « quicumque inter « tentationes hujus vitae ab omni se vulnere credit « immunem. Plena omnia periculis, plena sunt « laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebrae, blandiuntur lucra, damna deterrent, amare

« sunt obloquentium linguae, nec semper veracia « sunt ora laudantium. Inde sedit odium; hinc « decipit mendax officium, ut facillius sit vitare « discordem quam declinare fallacem. » Merito igitur S. Apostolus monet dicens, *Eph. vi, 11 : Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli : quoniam non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*

Astutus serpens peccandi occasionebus utitur, ut ad peccatum nos pertrahat; cui proinde ne minimus quidem indulgendus est aditus, sed omnia illius declinanda sunt pericula si eum vincere volumus. Occasiones iterum sunt incentivum et fomentum peccati, et ideo qui eas non removet, vel ab eis non recedit, tandem infelicitur labetur. *Qui amat periculum, peribit in illo*, ait Ecclesiasticus, *ut, 27*. Quae verba exponens Rabanus scribit : « Ille dicitur amare « periculum qui non curat, neque studet vitare « periculum. Alioquin quis est qui velit incidere in « periculum, cum velit evadere interitum? Sed « ille quodammodo amat periculum, qui diligit eas « res quae tendunt ad interitum, ut est libido, avaritia, luxuria et aetere perniciosae cupiditates. » Paulus de Palatio aliter exponit : « Solet hoc verbum « intelligi de his qui amant res licitas, quae ad illicitas tamen pellicunt, ut qui gaudet familiaritate « feminarum, iniquorum consortio. » Periculum et violentia occasionebus talia sunt ut in illis constituti, a bonis propositis meliores facillime recedant. S. Petrus, caelestem Magistrum suum in atrio Caiphae, in conspectu omnium impiorum ministrorum, Christique et Evangelii inimicorum, non semel, sed saepius negavit; sed egressus foras flevit amare. Si ergo a peccato preservari volumus, a periculis et incentivis peccati recedere debemus.

Addere fugam occasionum et periculorum peccati multum conferre ad perfectionem acquirendam, et assicurandam aeternam nostram salutem.

e. — S. Antonius de Padua, pulchram adducit considerationem super hoc verbum : *In deserto*, dicens : « Ubi desertum, ibi verbum Dei. » Quem sensum mox attingit Lucas Brugensis, dum hic inquit : « Desertum subdit Joannes, idoneum « prorsus locum, in quo cum Deo loqueretur, » per orationem videlicet. Oratio enim ut fructuose fiat, desertum requirit et solitudinem. Dominus dicit, *Matth., v, 6 : Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*. Porro cum Christus cameram nostram ingredi, ejusque portam claudere suadeat eo sensu loquitur, quo S. Ambrosius ait : « Cubiculum tuum « mens est tua. » Voluit quoque hisce verbis consilere nobis fugam ab omni strepitu saeculari, qui nos distrahere solet, et solitudinem, aliaque loca secreta commendare. Nam ut B. Laurentius Just. ait : Ad orationem dispositio solitudo, de qua per

Oseam dicitur : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

f. — Volens Deus, ad manifestandum mundo Filium suum hominem factum, uti opera S. Joannis, septimo aetatis anno tuit eum in desertum, ad hoc ut in eo, per considerationem gloriae aeternae animam suam ad labores, imo mortem ipsam ob veritatis defensionem, futuris temporibus subendam, prepararet. Multum enim ad tribulationum tolerantiam confert beatitudinis consideratio; libenter enim quaevis adversitas toleratur, utpote quae spe aeternae retributionis suavis esse videtur. S. Paulus, non ex levibus ad id conjecturis motus est, ut omnia hujus vitae tormenta nullam cum gloria proportionem habere afferret. Cum enim ad tertium usque caelum et sedes beatitudinis, raptus fuisset, assertionis suae testis oculatus esse meruit; ac proinde valde considerabile est et mysticum quod dicit : *Existimo quod non sunt condignae passionibus hujus mundi, ad futuram gloriam*. Verbum existimo indicat iudicium certum, et cum veritate conjunctum. Verissimum igitur est quod quisquis cor et animum, in gaudium et bona immortalia dirigit, facili de negotio, omnia bona et felicitates hujus vitae contemnet, et abijcet. E contra vero, omnibus aerumnis et passionibus vitae praesentis libenter se subjiciet immo omni cum generositate et gaudio, illis obviam occurret et occipiet.

Quis generosum illum et heroicum primi credentium patris Abrahae animum non admiretur, quo patriam, parentes, et omnes paternae domus divitias, tanta cum promptitudine deseruit, ut velut peregrinus et errabundus in patriam alienam, sibi quae incognita abiret, quo ad unicum dimittaxit vocantis Dei vocem missus fuerat? Sed quid mirum est si idipsum fecerit, quia a Deo audire meruit : *Ego ero merces tua magna nimis.*

Moses regiam purpuram in saccum servilium, potestatemque regiam cum servitute libenter commutavit, sibi quae utilis esse existimans, si cum vili Hebraismi plebicula in conficiendis e luto lateribus divexaretur, quam si glorioso domini sui sceptro regna et subjectos sibi populos gubernaret. Sed quo motivo idipsum facere staturat? Motivum hoc S. Apostolus immediate subjungit, dum ait : *Aspiciebatur enim in remunerationem*. *Hebr., xi, 14* et seq.

D. Chrysologus super illa Christi verba : *Noctem tenere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. *Luc., xii, 32*, egregie observat quod Salvator noster ut ab Apostolis omnem, quo in venturis persecutionibus percelli potuissent, metum depelleret, regni caelorum illis gloriam promiserit. « Hinc est, » inquit, « quod discipulis « suis Christus regnum ponit in praemio, ut in certamine non cedant periculis, non timori. Pericula « despiciunt qui tendit ad regnum. »

Generosa illa Machabaeorum mater, filium suum

ultimum sic alloquebatur: *Peto, nate, ut aspicias ad caelum; ita fiet ut non timeas carnificem istum.* In hymno quodam de Sanctis Martyribus sancta canit Mater Ecclesia: « Traduntur igni Martyres, et hestiarum dentibus, armata savit unguis tortoris « insani manus. Nudata pendent viscera, sanguis « sacratum funditur, sed permanent immobiles. » Sed unde mira hæc constantia et heroica fortitudo derivatur? « Sed permanent immobiles, vitæ perennis gloria, » vel ut alii legunt, « gratia. »

g. — Imperat Deus Joanni ut expleat munus sui præcursoris, et licet ipse jam exire desideraret, detinuit se tamen, per variarum virtutum bonorumque operum exercitationem in deserto, quia si volumus, per sacra verba et officium prædicationis quemdam in populo fructum facere, oportet opera bona præcedant, quæ plus persuadent quam verba; S. Paulus, priusquam Timotheum discipulum suum, ad dandum tam in sermone quam conversatione, bonum exemplum cohortetur, primo hæc verba præmittit: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.* Et paulo post, quisnam hic omni acceptione dignus sermo sit exponit dicens: *Præcipe et doce.* Sed quo modo præcipiendum, aut docendum? *Exemplum esto fidei in verbo, in conversatione, in fide, in charitate, in castitate.*

Doctrinam hæc S. Prosper sacerdotibus specialiter appropriari autumat, dum ait: « Nulla alia sacerdotis doctrina debet esse, quam vitæ; satisque « auditores possunt proficere, si a Doctoribus suis, « quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari. » Cujus nobis formam Verbum incarnatum dedisse videtur, utpote quod, licet a primis vitæ annis conversionem animarum, prædicationem Evangelii, novæque legis gratiæ promulgationem exordiri potuisset, nihilominus, teste S. Mattheo, IV, 17: *Exinde cepit Jesus prædicare et dicere: penitentiam agite,* « ex quo tentatus « est, famem vicit in deserto, avaritiam sprevit in monte, vanam gloriam repercusit super templum; ut nobis ostendat, quod qui sæculi hujus « bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi vicarius factus, justitiam « prædicare. » Hæc sunt verba Auctoris Imp. in *Matth.* Quam veritatem S. Petrus Chrysologus, docte confirmat, in sermone: *De Joanne Baptista prædicante.* Ibi enim hujusmodi format discursus: Quis efficaciis jejunii et penitentiae virtutem nobis imprimere potuisset, quam ille, cujus vitæ continuum extitit jejuniium? « Doctor dicto factoque « Magister verus, quod verbo adstruit, demonstrat « exemplo. Magisterium stat de scientia sed Magisteri auctoritas constat ex vita. Docenda faciens, « obediens perfit auditorem; docere factis sola « est norma doctrinæ. Doctrina in dictis scientia « est; in factis virtus. Scientia ergo illa vera est, « quæ fuerit mixta virtuti; illa divina est non

« humana, Evangelista probante cum dicit, quia « cepit Jesus facere et docere. »

h. — Joannes in deserto pelle cameli vestitus legitur, quod vestimentum eius olim vitæ austeritatem et sanctitatem denotabat. Sic quoque Deus vult primam vestem quam debet ferre sacerdos sacrificaturus, esse tunicam albam ex lino, valde angustam, quæ bene conveniat et descendat usque ad pedes, ad declarandum quod is qui debet offerre Deo sacrificium totus vestitus esse debeat sanctitate et munditia. S. Chrysostomus de sacerdotio agens dicit: « Necessè est sacerdotem sic esse purum, ac si in caelis ipsis collocatus, inter cælestes « illas virtutes medius staret. » Dionysius Carthusianus ait: « Pure ac virtuose obligati sunt vivere, « quatenus de plenitudine virtuositatis suæ et de « suarum abundantia meritorum, proximis suis « tam vivis quam mortuis, sic valeant communi « care, ac subvenire. » S. Augustinus, *Serm. xxxvi, ad fratres,* pariter ait: « Oportet mundam esse « manum, quæ polluti vasis maculas debet purgare, ne polluta, deterius possit conquinare, « cum sordida sordidum tractat. » Sed audiendus est S. Petrus electus a Christo summus Pontifex. De sacerdotio loquens, in ejus laudem dicit quod sit *gens electum, gens sancta.* Ubi Glossa ait: « Dicitur vocati ab eo qui sanctus est, ut sancti « sint. » Certum quidem est quod gradus sublimior, vel altior dignitas sacerdotio dari nequeat. « Magnus « sane gradus est sacerdotium, si immaculatum « peragatur, » inquit S. Ephrem. Unde S. Francis, tametsi Seraphinorum amore succensus, semper exarsit, attamen ad gradum sacerdotalem, ob summam ejus reverentiam, transire non præsumpsit.

i. — Videtur sane hisce verbis: *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium,* Evangelista Lucas, prævia ad prædicationem Joannis eologia, si non explicatis, vividius tamen exposuisse, ut argute ostendit S. Pater Ambrosius, hæc super re sic factus: « S. Mattheus et Marcus « vestitu, et cinctu, et cibo, Prophetam declarare « voluerunt. Lucas compendio usus est, dicens: « *Factum est verbum Domini super Joannem.* Unum « dixit et omnia declaravit. » Scilicet dum significatur, quod ad recens concionatorum Joannem, *Verbum Dei factum est;* verbum Dei, inquam, non tam dictum oretenus quam actuosum opere factum et vitæ expressum ad auditorium normam. Factum enim in se bona, omnes virtutes, cunctasque desiderabiles gratias virtualiter continet, et sic verum est: « Unum dixit et omnia declaravit. »

j. — Turget mysteris prædictum verbum: *Factum;* agebatur enim de intimando Baptistæ prædicationis suæ exordio, per quam innumeras peccatrices animas ad penitentiam et bonam frugem erit revocaturus. Verum priusquam prædicationem

suam S. Joannes Baptista exordiret, divinas habuit revelationes, quibus ad prædicandum adactus fuit: quod prædicta verba insinuant. Unde copiosissimo conversionis animarum fructu hand caruit. Sic prædicationem evangelicam, longe efficaciorum et fructuosiorum reddidit divina assistentia, quam studium et eloquentia. Rupertus Abbas, hæc incarnati Verbi sententiam: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis,* *Matth.*, x, 20, applicans prædicatoribus isdem salutare hoc tradit documentum: « Cum autem accedatis ad tractandum Verbum Dei, tunc nolite « præcogitare, qualiter verborum phaleris Sanctæ « Scripturæ sensum exornetis. Dahantur enim « vobis sponte venientia de Spiritu Patris vestri, « quæ ulique, quanto magis sponte venient, tanto « et vobis minus fatigationis, et audientibus, sive « loquentibus plus afferent delectationis. » Hæc est optima prædicatio, ingentemque fructum parit, quæ a Spiritu Sancto dicitur, de quo Christus Apostolos assecuraverat, dicens: *Ille vos docebit omnia et suggeret.* S. Bernardus qui ob suam eloquentiam mellifluus appellatur, in hæc verba scribit: « Potest Prædicator monita salutis auribus « circumstantium insonare, sed nemo nisi solus « Deus valet saporem charitatis palato cordis « fundere. Unde Gregorius ait: Nisi sit intus Spiritus qui doceat, doctoris lingua in vacuum laborat. »

k. — Joannes a puero in deserto enutritus fuit, ut Lucas, I, 80, de eodem testatur: *Puer autem crecebat et confortabatur spiritu. Et erat in desertis, usque in diem ostensionis suæ in Israel.* De recessu Joannis in deserto sic Origenes loquitur, *Hom. xi, in Luc.*: « Digne qui sic conceptus fuerat et natus, « non expectavit ut a patre nutritur usque in « diem ostensionis suæ in Israel; sed recessit « fugiens tumultum urbium, populi frequentiam, « vicinam civitatem, et abiit in deserto, ubi purior « aer erat, cœlum apertius, et familiarior Deus. » Nil ergo mirum, quod ad Joannem in deserto verbum Domini factum sit, cui sic familiaris inibi erat Deus. In solitudine enim Deus conversari solet cum animabus, communicando ipsis visiones, revelationes, aliæque gratiarum dona. « Scrutemur Scripturas, » inquit Hugo de S. Victore, « et inveniemus, vix unquam Deum in multitudine locutum. Sed quotiescumque hominibus innotescere voluit, non « gentibus, nec populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et a communi frequentia segregatis, « vel per nocturna silentia, vel in campis, vel in « solitudine et in montibus se manifestavit. » Unde Gerson in ponderatione vitæ Abrahami ait: « Sedebat Abraham solus subter illicem Mambre, quando « tres vidit, et unum adoravit. Postmodum gradiens « solus audivit ab eis mysteria. Solus erat, dum « ritum Circumcisionis accepit a Domino. Vidit

« Agar in solitudine Angelum, quæ de puteo « visionis refocillavit puerum morientem. Jacob « solus primo vidit scalam cum Angelis descendentibus et ascendentibus, et typum domus Dei. « Solus cum Angelo luctatur et meretur benedici. » S. Ambrosius dicit de visione Principis Apostolorum, *referta, Act. Apost.*, x. « Solus erat Petrus, et « totum per orbem consecrandarum gentium cognovit mysteria. »

l. — Cur autem sic latuerit Joannes usque ad trigessimum annum occultus, Rupertus Abbas, tractans de vita Angelorum æmula, quam in eremo agebat, peridoneam his verbis rationem reddit: « Ne pulchritudo oris, a quo primum audiendum « erat testimonium gratiæ et veritatis, aliquo modo « defloresceret, loquendo aliquid vani, aut otiosi « sermonis. » Peccata enim quantumvis levia impediunt acquisitionem spiritus et devotionis, ac proinde servi Dei axie illa persequuntur, et minimas culpas fugiunt. Licet enim peccatum modicum sit, suam tamen habet venenum, ac proinde timendum est, ne in graviora nos ruere faciat.

VERSUS 3.

Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptisimum penitentis in remissionem peccatorum.

Et venit.

1. — Inter factum est verbum, et venit nulla interjecta fuit temporis dilatio, ad insinuandam promptam et expeditam in divino beneplacito adimplendo obedientiam, non retrocessit, neque se excusavit a suscipiendi munere, dicendo, se contemplativa vitæ quietem deserere nolle: quia sicut ad honorem et gloriam Dei vitam hæcenus duxerit eremiticam et solitariam, ita quoque ad ejusdem Dei honorem ab eadem spelunca egrediebatur. S. Petrus Damianus, *lib. II, Ep. xii,* amorem Dei proximi in ordine ad salutem eternam, a beneficiando crescere et adangeri dicit: « Quia tunc ad alia charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum « se misericorditer attrahit, et quo benigne descendit ad infima; valenter recurrit ad summa. » Unde quando Deus noster Præcursorem suum a spelunca sua evocavit, eidem illi dixisse videtur, quod scribit S. Bernardus, *Serm. ix in Cant.*, nimirum: « Noli ergo nimis insistere oesentis contemplationis, quia meliora sunt ubera prædicationis. » Toletus Præcursoris in obtemperando promptitudinem admiratur, dicens: « Prompta Joannis obedientia fuit, qualis Deo debetur præcipienti: cum « primum enim Dei vocem audivit, sine mora penitentialia deserti, in quo latebat, relinquens, venit in « partes deserti patentiores, et inde in totam regionem Jordanis circumjacentem. »

In omnem regionem Jordanis.

2. — Jansenius flumen hoc speciali privilegio instrumentum baptismi fieri debuisse dicit quia in tota Palaestina nulla erat aqua celebrior aut amplius flumen, præterquam quod in iisdem aquis jam olim multæ baptismi figure præcesserant; siquidem flumen istud apertum et divisum fuit, quando populus Dei electus in terram promissionis ingressurus, siccis illud pedibus pertransiit. Elias quoque, postquam hujus fluminis aquas pallio sub divisas pertransiisset, in curru igneo demum in cælum ascendit: « Sic et per baptismum, » inquit Jansenius, « introitus est in regnum cælorum. » Naaman Syrus quoque ex præcepto Elisei, septies in hisce undis lotus; a lepra sua mundatus inde exiit, factus servus et cultor veri Dei Israelis ex idololatra incredulo: « Quo significatum fuit, gentiles baptismum « septiformis Spiritus a noxia lepra, carnis scilicet « corruptione mundatos, adscribendos vero Dei « populo. » Pergit postea similitudinem ostendere, qua flumen hoc baptismum a Baptista prædicato et collato respondet: « Jordanis enim interpretatur, « secundum multos fluvius iudicii; quid est autem « aliud baptismus poenitentiae, quam fluvius qui- « dam iudicii, quo scilicet quis seipsum condemnat « et iudicatur, ne iudicetur a Domino. »

3. — Origenes a S. Thoma, in *Catena* citatus, similiter notat, quam conveniens fuerit, ut Baptista circa hæc aquas Jordanis commemoraretur, et discurreret: « Que autem loca decebat perambulare « Baptistam, nisi Jordani circumjacentia? ut si « quem poenitere contingeret, protinus occurreret « fluenti humiditas, ad recipiendum poenitentiae « baptismum. » Didaeus Stella ait: « Quomiam gra- « tia baptizandi venerat, ad loca abundantia aquis « accedere debebat. » Eandem quoque reflexionem Salmeron, *tr. iii.* habuit, dum ait: « Daturus ini- « tium baptismum, quo viam Christo muniret atque « pararet, merito regionem Jordani finitimam eli- « git, ut ad se accedentes et poenitentiam agentes, « baptizare commodius posset. » Ubi enim de inspira- « tionibus celestibus, de animæ salute, de poeniten- « tia, de peccatis ab anima nostra repellendis agitur, nulla est prætereunda aut negligenda occasio, sed eadem subito utendum est, absque ulla vel unius momenti prolongatione. Ille reginæ Candacis Eunu- « chus, qui una cum S. Philippo Diacono, curru insidens, Isaiæ prophetiam legebat in via, quendam aquæ rivulum obviam habuit: *Dum trent per viam, venerunt ad quandam aquam, et ait Eunuclus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam Philippus et Eunuclus, et baptizavit eum. Act. Apost. viii, 36, 38.* Vultisne videre quam utile huic Eunucho fuerit, quod hanc baptismi a Philippo suscipiendi occasio- nem sibi elabi minime permisit? Audite sacrum

textum immediate postea ita loquentem: *Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuclus.*

4. — Lyranus illa verba ita explicat: « Id est, ad « loca populosa, in quibus poterat magis proficere, « et in hoc dedit exemplum prædicatoribus Evan- « gelii, qui non debent querere loca recreationis, « sed fructificationis verbi divini. »

5. — Chrysologus, *Serm. cxxvii.* ad populi Hebræi sordes alludit, quas Baptista, quoad illi possibile erat, eluere satagebat: « Venit ad Jordanem, quia « Judaicas sordes non poterat hydrya jam lavare, « sed flumen. »

6. — Super Jordane, non vero super aliis fluminibus cælos apertos fuisse novimus, et hunc eundem fluvium sese divisisse scimus, ad dandum populo Dei in terram promissionis adveniendi liberum transitum, ad inveniendum scilicet nobis, poenitentiam, quam hoc in loco prædicabat Joannes, esse illam, que liberum nobis transitum facit ad terram promissam queque nobis aperit paradysum: *Poenitentiam agite* (hoc utebatur in cunctis prædicationibus suis themate); *appropinquavit enim regnum cælorum*, super hoc flumine regnum illud beatum aperiri vidit, quando Filium Dei baptizavit.

Prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

7. — Toletus rationem reddit, cur S. Joannes prædicationem, et Messiae manifestationem exorsurus, baptismum ministraverit, adducitque sequentem Chrysostomi auctoritatem, *Hom. x. in Matth.*, dicentis: « Neque enim dignum erat, ut B. Joannes « singulas adiret domos, et quasi apprehensa manu « circumduceret Christum, atque in ipsum creden- « dum clamaret, et præsentibus cunctis atque cer- « nentibus, beatam illam vocem emitteret, cætera « que cuncta compleret; propterea igitur venit ad « baptismum, nam et baptismatis existimatio totam « pelliciebat civitatem, atque ad Jordanem voca- « bat. »

8. — Qualis autem hic S. Joannis baptismus fuerit, et quali fuerit præditus virtute, inter sacros interpretes non est satis liquidum: hoc saltem certum est, quod non ad instar illius, quem Christus instituit, contulerit quidquam ad remissionem peccatorum, sed ad eandem solum dispositus erat. Unde S. Bonaventura ait: « In remissionem pecca- « torum, id est, in baptismum Christi, in quo est « remissio. » Eandem quoque veritatem Glossa nobis hæc verbis indicat: « Joannes baptismum « poenitentiae prædicavit, et quibusdam etiam dedit, « sed remissionem peccatorum dare non potuit; » unde ulterius valde considerabilem, scitque dignam tradit observationem, dum ait: « Non ergo ait, « dans baptismum poenitentiae in remissionem pec- « catorum, sed prædicans: quia enim dare non

« potuit baptismum, quo peccata solverentur, præ- « dicabat, ut, sicut verbo prædicationis Verbum « Patris præcurrit, ita baptismum poenitentiae, quo « peccata solvantur, præcurreret suo baptisate, « quo peccata solvi non possunt. »

9. — Dionysius Carthusianus ad verborum illorum explicationem sequentem adhibet distinctionem: vel enim de Christi baptismum intelliguntur, vel de baptismum Joannis; si de Christi baptismum intelliguntur, verbum *prædicans* hunc sensum habet, « id est, de proximo futurum ac dandum « annuntias, suscipiendumque hortans Christi bap- « tismum; » vocatur autem Christi baptismum, lavacrum poenitentiae, eo quod adultis non conferatur, nec ad utilitatem proficiat, nisi de peccatis in interioribus cordis suis poeniteant; præterea dicitur baptismum Christi, poenitentiae baptismum, eo quod annuntietur « docendo, quod Christi baptismum « peccata deleret, gratiamque conferret. » Quodsi vero de S. Joannis baptismum intelliguntur, scilicet de eo, quem prædicavit, et ministravit, et ad quem convocatas turbas, ut eum reciperent, invitavit: « Dicitur baptismum poenitentiae, quia quos bap- « tizavit, ad poenitentiam hortabatur, et qui bap- « tismum illum accipiebant, sua peccata confiteban- « tur, sicut se poenitere monstrabant. » Denique de baptismum S. Joannis concludit dicens: « Bap- « tismus Joannis fuit in remissionem peccatorum non « causaliter, sed dispositive et preparative, non « directe. » Didaeus Stella idipsum dixit, dum ait: « Preparabat homines ad Christi baptismum, voca- « batur baptismum poenitentiae, quia quos bap- « tizat, poenitere docebat. » Cajetanus dicit: « Erat « quoddam initium poenitentiae, » ad distinctionem baptismi nostri, in quo sine ulla satisfactione poenitentia peccata nostra condonantur ob merita Christi. Veruntamen Titus Bostrensis a Glossa citatus, aliam quandam diversitatem tangit, dum ait: « Baptismus Christi ex vi propria perfectam remis- « sionem peccatorum habet; jam Joannis baptismum, « licet peccatorum remissionem adjunctum habe- « bat, sed ex poenitentia. » Sunt et alii, qui existi- « mantur verba illa intelligenda esse de baptismum non fluminis, sed fluminis.

10. — Præteriri hoc loco nequaquam debet observatio quedam maximi ponderis et momenti, pro instructione eorum, qui verbum Dei fideli populo annuntiare debent, nimirum quod primus omnium, quibus Salvator mundi in principio legis Evangelicæ verbum Dei prædicandi commissionem dedit, sanctissimus etiam Præcursor fuerit, quem Angelum potius quam hominem e spelunca quadam eduxit: huic ipsemet (prout pio credi potest) speciale prædicationum suarum thema suggestit, quo ipsamet deinceps incarnata Sapientia in principio prædicationis suæ uti digna fuit, hoc nimirum: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum*

cælorum, propter quoad Joannes dicitur *prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*, ut hæc ratio manifeste intelligatur, quod hoc præcipue fide Filii Dei in terram descenderit, Evangeliumque promulgavit, prædicavit, et quatuor Evangelistis conscribere fecerit; ut hoc mediante peccatum aboleretur ab homine, animasque ad veram poenitentiam converteret; siquidem alias aditus in cælum obtineri nequeat. Porro S. Mattheus, *ii, 12*, refert, quod, quamprimum Præcursor e deserto egressus fuit, hæc ab eo vox in hæc verba prorumpens audita fuerit: *Poenitentiam agite, etc. Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* In capite autem sequenti, vers. 17, postquam dixisset, Christum egressum esse de deserto, ubi austeram illam poenitentiam egerat, confestim subjungit: *Ecce ego mitto Jesus prædicare, et dicere: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum;* nimirum Sapientia increata eodem themate Joannis Baptistæ in sua prædicatione uti designata non fuit, eo quod promovendo saluti animarum, pro quibus sum erat sanguinem daturus, utilissimum esset. Unde Cajetanus ait: « Advertendum « est, quod Jesus ab eadem materia suam inchoat « prædicationem, a qua incepserat Joannes, tum « quia Joannes preparative, Jesus vero perfective « hanc materiam prædicavit; tum ad confirman- « dam prædicationem Joannis, tum ad exemplum « nostrum, ut non delinquamus inchoata alii etiam « minoribus bona prosequi. » His quoque addere possumus quia centrum ad quod omnes sacre Scripture, doctrinarumque theologiarum, moralium, institutionis Sacramentorum, et omnium, quæ hæcenus operata est Ecclesia, et ad finem usque sæculorum operatura erit, linee terminantur, illud est, quod Gentium Doctor, *Ephes.*, *v, 25, 26* et *27*, ait: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Aeternæ quoque veritatis est propositio, quod scilicet, *Non intrabit in eam*, id est, in Jerusalem celestem, *aliquid coïnquinatum.* *Apoc.*, *xxi, 27*. Et quem potatis finem respiciunt adventus Filii Dei, et nostra per illum consummata redemptio? illum nimirum, qui verbis illis in die Nativitatis cantari solitis, exprimitur: « Hodie nobis cælorum Rex de Virgine nasci « dignatus est, ut hominem perditum ad cælestia « regna revocaret; » sola autem peccata sunt, que nos ab illo regno excludunt, ad quorum abolitionem nullum reperitur aliud remedium quam poenitentia, quam ut hominum cordibus efficaciter inculcaret, eadem de Evangelii prædicatione providit, que unum est ex majoribus, efficacioribusque auxiliis, que unquam in Ecclesia sua reliquit. Væ autem

illis, qui eo abutuntur, in prædicationibus suis ab hoc fine declinantes, et non tam lucrandis animabus, quam proprio applausu, majorique temporali lucro et interesse adaugendo studentes.

Adiciones.

a. — *Et venit in omnem regionem Jordani, prædicans baptismum penitentiae.* Venit Joannes, ait D. Chrysostomus, *Hom. xix, in Matth.*, quasi magni regis præparator, aut nuntius fidelis, qui in exordio prædicationis suæ non incepit prædicare Christi Domini divinitatem, vel ejus eximiam potestatem, sed penitentiam, in remissionem peccatorum, scilicet hominum. Quia enim invenit totum mundum criminibus obnoxium, factus forma et religiosissimum concionalorum exemplar, non altissimas questiones sed penitentiam, et vite, morumque emendationem annuntiavit. Finis enim concionalium unicus esse debet, arguere peccata; adeo namque Deus divinum suum largitus est verbum, ut per illius prædicationem, primo omnium loco aboleatur peccatum. Verbum incarnatum de celo in terram descendens, ut ibidem Ecclesiam sponam suam, prædicatione Evangelica mediante, plantaret, primo suum misit Præcursores ut operis illius faceret principium. Quoniam vero hic prædicationum suarum sibi thema assumpsit? *Venit Joannes Baptista, prædicans in deserto Judææ, et dicens: Penitentiam agite,* inquit S. *Matth.*, m, 1. Eodem quoque exordio ipsamet Sapientia incarnata sua fuit: *Cogit JESUS prædicare et dicere: Penitentiam agite,* dicit idem S. Evangelista, iv, 17. Ad hæc Hugo Cardinalis inquit: « Prædicatio Joannis fuit vox Christi satis terribilis, quia terribilia prædicavit, que valde perterrant peccatores, scilicet licet mortis incertitudinem, judicii severitatem, æternam damnationem. *Factum est verbum Domini super Joannem.* » Divus Chrysostomus, qui propter auream eloquentiam os aureum appellatur in *Hom. lxx in Genes.* protestatur dicens: « Ea de causa quotidie vobis concionamur, ut aliquid lucri faciatis, et virtutes vestræ crescant; et nos hælemur videntes vestrum profectum. Numquid enim temere et in vanum dicere volumus, ut a vobis laudum fructus recipiamus, et ut plaudentes manibus recedatis? Non hoc spectamus: absit; sed vestram salutem. Mea maxima laus est et summus plausus, si quis a vitiiis ad virtutem convertatur. » Dixit iterum Hugo Cardinalis, super illa verba: *Prædicans baptismum penitentiae:* « Hic autem suggillantur curiosi prædicatores, qui ponunt in cælum os suum, loquentes de linguis Angelorum, et de differentia hierarchiarum. Iste autem eximius Prædicator nihil tale prædicavit, sed tantum quod formabat populum, quid fugiendum, et primum cum dicit: *Penitentiam agite,* fugiendum peccatum; quid eligendum, cum

« subjungit: *Appropinquit enim regnum cælorum.* Ista enim duo prædicanda sunt, scilicet « declinare a malo, fugiendum peccatum; facere bonum, regno Dei appropinquando... Si talis esset Prædicator, omnis Jerosolyma, hoc est claustrales, « omnis Judæa, id est clerici, omnis regio sæcularium baptisarentur, id est, mundarentur. »

b. — Erat mundus in maligno positus, Judeus perversus, Gentilitas impia, omnis in peccatis submersus populus. Joannes vera Dei vox subintrat prædicans penitentiam, quæ tam efficax contra peccatum est antidotum, ut quamvis innumerabilia sint, et maxima, tamen omnibus peccatis expulsiva quedam sit medicina. « Per confessionem, » inquit B. Bonaventura, *Serm. v. in Rogat.*, « liberamur a malo culpe, miserie, gehenna. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est ut remittat nobis peccata nostra Deus, et emundet nos ab omni iniquitate. O quam stultus esset leprosus, « qui se propriis verbis curare posset, et non « faceret? Et certe peccator leprosus est coram Deo et Angelis, qui propria confessione curatur, et quandoque desiderio confitendi: *Ita et ostendite vos sacerdotibus; et factum est dum irent mundati sunt.* » Idem Seraphicus Doctor, de sacramentorum virtute tractans, efficacie confessionis attribuit ænomia, dum ait: « Hoc est, que Angelos, « sanctificat, impium justificat, anima bona revocat, « vitam æternam donat, ponam æternam vitam. »

c. — Circa hunc textum: *Venit prædicans baptismum penitentiae,* notandum est quod refert S. *Matth.*, m, 6: *Baptisabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.* Dubium esse potest qualis fuerit illa confessio, num generalis quedam reatus agnitio, vel distincta, tum specifica, tum numerica peccatorum declaratio? Non adeo facilis est responsio, Patres enim aliter, aliterque sentiant sed nobis demonstrat exemplum Joannis, confessionem, licet facta sit absque absolutione, non tamen magna utilitate destituit.

d. — Erat Joannes ordinarie baptisans in Jordani flumine. Quæri posset cur potius in hoc quam in alio loco? Inter varias a sanctis Patribus productas rationes, hanc Glossa ordinaria hic assignat: « Joannes baptizat in Jordane, ut ibi aperiret ja- « nua regni cælestis, ubi datus est aditus filiis Israel « in terram promissionis. » Veluti ab ipso loco induebus in quo, cum Deus unum largitus esset beneficium, per ejus venerationem, tanquam gratitudinis exhibitionem induceretur ad aliud excellentius communicandum. Gratitude enim majora in nos Dei provocat beneficia. S. Thomas, in *cap. v. Epis. ad Rom.*, dicit: « Ad principium unde proveniunt beneficia, revertuntur per gratiarum actionem, ut iterum fluant per beneficiorum exhibitionem. »

e. — Illud maxime notandum est, quod Joannes,

in exordio suæ prædicationis, non incipit prædicare Christi Domini divinitatem, vel ejus eximiam potestatem, sed baptismum, in remissionem peccatorum; quod quidem secundum litteram intelligendum est de vero ac reali baptismo. Credibile tamen est, Joannem in sua prædicatione, alias ad penitentiam excitantes pertractasse materias, veluti etiam ex textu patet, dum inquit, *Luc.*, m, 8: *Geminina viperarum, quis ostendit vobis fugere, a ventura ira? Facite ergo fructus dignos penitentiae.* Per quæ verba futuræ vitæ penas iis indicare voluisse, non immerito dici potest. Discant igitur hinc Prædicatores, de penis inferni sæpe ad populum verba facere. Baptista a Deo electus erat ut vias dirigeret, id est, perversos reformatet Hebræorum mores: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus;* idque per prædicationem suam operari debebat, dicente S. Luca: *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium;* hoc est, subjungit Albertus Magnus: « Vade, « prædica. » Sed quale putatis eum ex Spiritu Sancto instinctu habuisse thema? *Prædicans baptismum penitentiae.* Sed ut populum hunc ad veram induceret penitentiam, ut *geminina viperarum* in columbas transmutaret, quibus eum argumentis, quibus rationibus, quæve rhetorica usum fuisse putatis? *Enibat ad eum Jerosolyma et omnis Judæa, et omnis circa regio Jordane, et baptisabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.* Publicani etenim certalim accreabant, in dietis se abluentes. Imo milites, venerabundi et tremantes interrogabant eum: *Quid facimus et nos?* Quot equidem in sæculis præteritis Prophete in austeritatibus prodigiisque magnis verbum Dei annuntiaverant, et nihilominus toto eo tempore, tantam non potuerunt colligere messem quam Baptista diebus paucis? Quæ tantæ operationis differentia? Illi temporalia iræ justitiæque divinæ supplicia intentabant, in via præsentis inferenda; Baptista vero atrocitatem prædicationis inferni, inquiens: *Omnis arbor quæ non fecit fructum excidetur, et in ignem mittetur. Paleus comburetur igne inextinguibili.* Hinc S. Chrysostomus stupendam hanc conversionem admirans, *Hom. xi in Matth.*, ita discurrit: « Quid factum est, quod cum impiorum essent filii tamque nequiter educati, susceperunt subito penitentiam? Unde hæc facta est repente tanta conversio? Quis vulnera « immedicabilia curavit? Ignis infernalis inveterata curavit plagas. » Ideoque subjungit Sanctus: « Considera quemadmodum illos ab ipsis principibus attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermones. » Hocque ignis infernalis timorem tanto incutebat majorem, quanto dictam penam viciniorem, non vero remotam esse doceret, in deserto exclamans: *Jam securis ad radicem arboris posita est.* Sed et ipse Christus Dominus noster sæpius ponas inferni peccatoribus minatus est.

VERSUS 4.

Sicut scriptum est in libro sermonum Isaie Prophete: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.

Sicut scriptum est in libro sermonum Isaie Prophete.

1. — Isaías Propheta præcunctis aliis, novæ legis Evangelicæ eventus distinctius prædixit et clarus. Idem igitur, xi, 1, 2, Jerusalem ob vicinum Messie adventum ad gaudendum invitavit hisce verbis: *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester, loquimini ad eum Jerusalem, et advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius.* Inter cætera signa, quæ proximum Messie adventum subindicant, nullum ostendit esse manifestius, quam sit prædicatio Joannis Baptistæ, quam hisce terminis describit: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri; omnis vultus, etc.*

Vox.

2. — Salmeron, tom. IV, *tract. iii*, vocem et efficaciam prædicationis S. Joannis septem illis vocibus adaptat, de quibus Palmista mentionem facit, *Psal. xxviii*, 2, dum ait: *Vox Domini super aquas. Deus majestatis intonat,* quibus verbis baptismum qui per aquam confertur, annuntiabat: *Deus majestatis intonat,* quia vox Patris æterni super Jordane audita fuit. *Vox Domini in virtute;* quia illum prædicabat, qui baptizaturus erat in Spiritu Sancto, qui apud S. Lucam, xxiv, 49, virtutis titulo nominatur. *Sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto;* vox Domini in magnificentia, quia Christum valde sublimiter prædicationem, indignum se agnoscens, qui calcamenta illius solveret. *Vox Domini confringentis cedros;* siquidem superbus et elatos Pharisæos reprehendit et divicit: *Geminina viperarum, etc.* *Vox Domini intercedens flammam ignis,* quia voce sua incestuosum concupiscentis ignem, qui Herodem inter et Herodiadem ardebat, dividere et distinguere studuit. *Vox Domini concutientis desertum;* neque enim prædicatio illius solum ad litteram in solitudine resonabat, verum etiam publicanos, milites, et alios peccatores a divina gratia desertos, et desolatos, qui proinde deserto cuidam vitiorum veribus pleno similes erant, ad penitentiam revocabat: *Vox Domini preparantis cervos,* quia auscultatores suos ad credendum in Messiam Christum præparabat, specialiter autem discipulos suos, ut illos Christi sectatores, et scholæ Christi professores efficeret. Porro sanctus Præcursor *Vox Domini* appellatur; ubi Hugo Cardinalis ait: « Joannes est vox Verbi, id est, Christi. » Et Albertus Magnus ait: « Ut sit sensus: hæc est vox mea « clamantis Dei de cælo: » II *Cor.*, xiii, 3. *An expe-*